

affectus vocant *bewegungen des gemüths*.  
*Nulla alia eam adeo agitant*] igitur à potio-  
 ri hîc fit denominatio Log. II. 38.

21. Ad pass. art. 29. annotanda quæ-  
 dam essent de *differentia*, videl. quodnam  
 ejus munus sit in definitione: dicendum  
 quoque, quòd *ultimam & propinquam cau-*  
*sam*, opponat primis & remotis, de quibus  
 pass. art. 51. Sed nunc manum de tabula  
 tollo, nam specimen duntaxat edere volui.

## EXERCITATIO LXXV.

*De rebus admirabilibus in genere.*

I. **P**assionum animæ omnium pri-  
 mam Cartesius *admirationem* fa-  
 cit, uti Plato & Aristoteles eandem initium  
 philosophiæ statuunt, quæ cum ab iis qui  
 vulgò affectus enumerare solent omitta-  
 tur aut certè pro dignitate & amplitudine  
 sua non tractetur, rapuit me amor de ea  
 philosophandi aliquantò uberius. Huic  
 igitur affectui sequentes aliquot Exercita-  
 tiones consecrabo, in quibus non pauca e-  
 runt quæ ad sublimiorem Dei & nostri co-  
 gnitionem nos admirantes evehant. Per  
 problemata autè omnia ferè expediemus.

2. Ut ergo initium faciamus, quid est  
 admi-